DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS XXX. DECEMBRIS MDCCXVII.

M. GUIDONE ERASMO EMMEREZ, Doctore Medico, Præside.

An præstantior Medicus, qui in præscribendis Remediis parcior?

MEDICINA Dei munus homini concessum, ut salubriùs & diutissimè vivat: sed heu! quàm pauci inter homines divinæ istius artis legum (quæ & ipsius sunt naturæ) adeò studiosi, ut in iis tanquam in anchorâ consistant. Novit ars Iatrica & experitur quotidiè tum corporis, tum animi functiones meliùs multò perfici, atque firmiorem stare sanitatem, non naturalium rerum omnium mediocritate; hinc de iis omnibus abunde ὑγιεῖν, hinc corpora non repleri, non cibo, potu vires opprimi vult Medicus, sed refici tantùm, verùm homo licentiâ effrænis & exlex suæ valetudini decoquit quotidie, nec ad calcandam lethi viam expectat, ut senio & annis exhausto humido extenuetur corpus, vitalis calor extinguatur. Ocyùs etiam mors corriperet gradum, ni communis omnium & optima mater natura è vegetabilium, mineralium, animalium familiâ arti nostræ suppeditavisset cujuscumque virtutis præsidia adversùs morbos in quos voluptate, animi pathematis, omnis generis immoderationibus, sed præcipuè gulâ, ultro præceps ruit se miser ille, nec satis culpandus homo. Multa sanè & quidem proficua remedia adversùs quaslibet ægritudines habet ars medendi magistra. Ex his sunt gratiora alia, quæ in usum vocavêre hodierni nostri medici delicatiorum hominum palato indulgentes, alia quæ vetus ætas comprobavit, minus grata, virtute præstantiora; sunt composita quædam, quædam simplicia. In utrisque mitiora, vehementiora. E simplicibus, quæ è natali solo virtuti adaugendæ accommodatiori cæteris præferenda; composita non eò pluris facienda, quò illorum compositionem ingrediuntur longè plura ex omni genere & familiâ; tot hæc ad artis pompam nequaquam remedii efficacitatem majorem. Compositis securiora simplicia, si modò infusa decocta usurpentur, aut integra, & ut sunt; minimè ad Magisteriorum, Elixiriorum, Extractorum, Resinarumve formas redacta. Ut ut sit his omnibus uti liceat, nihil moror, (dummodò nec temerè nec timidè) sint etiam necessariæ aliquando auxiliorum vices, attamen præstantior Medicus erit qui in præscribendis remediis parcior.

TESTE Hippocrate ut in artibus bene multis artifex artifici præstat manu, sic & in Medicinâ mente artifici præstat artifex. Præstantior, non ille est qui & verborum abundantiâ, & remediorum numero atque multitudine famam apud Magnates populumve aucupari studet, verùm qui tutiùs curat, (nam sanare non est Medici, sed Naturæ, Medici curare tantùm.) Plura scitu necessaria Medico antequàm corporum curationem suscipiat. Sciat oportet ex quibus corpus nostrum constituitur, & quæ sanitatem morbumve efficere possunt. Corpus nostrum constituunt Sanguis, Pituita, Bilis duplex, Flava nempe & Nigra. Hæc vera sunt corporis nostri principia quæ Medico sufficiunt, ut pote sensibilia; cum hæc inter se congruunt pro cujusque temperamento, sanitas est: Ab his quatuor dolet etiam & ægrotat homo, ubi horum quicquam minori, majori ve copiâ fuerit, aut in corpore separatum, nec reliquis aliis temperatum. Revera ex humorum tum in quantitate, tum in qualitate vitiis morbi omnes, leviores, putridi, Acuti, Maligni, Chronici. Malignitas in morbis, major putredo. Chronici tales fiunt, quia initio aut non cogniti, aut neglecti; Morborum principiis obstandum, & tempore adhibendum remedium. Morbis potest aliquandò mederi Natura sola; aliquandò conatur quidem aliquid, at nimiùm oppressa, impedita, debilis vocat qui curet, non quemvis, non temerarium, cui, etiam si prosit nonnunquam, minus fidendum, in quo scilicet minus est rationis & consilii, imò sapientem vocat, & peritum Medicum qui morbi speciem, causas, magnitudinem rectiùs dijudicans, laborantis Naturæ conatus motusque distinguens apprimè, tutiùs curare possit, etenim tutò curare, est Naturam in agendo imitari, adjuvare. Hâc Naturæ imitatione, & curationis securitas, & præstantia Medici qui nec plura vel ejusdem, vel diversæ virtutis adhibebit remedia, ne inter illa, aliqua inutilia, inter hæc, alia aliis sint impedimento; nec idem (etsi proficuum) sæpiùs, ne novo & tumultuario impetu vis Naturæ inferatur. Cum in omni morbo, ægrotante, remedio, insit singulare quid propter quod unum alteri convenit magis, pauca remedia administrat in curando præstantior Medicus, sed convenientiora cuique ægritudini, ægro, laboranti parti, ut indè tutior curatio. Hanc convenientiam noscit, cui notior est Natura; huic igitur noscendæ totus se dat optimus quisque & præstantior Medicus.

INTIMUM Naturam inter & Medicinam commercium. Ambæ sibi mutuò dant auxilium ad opus commune, hominis sanitatem. Naturæ est opus inchoare, Medicinæ illam imitari; Medici quia in agendo Naturam sequuntur ducem huic toti sunt & unicè student. Apage tamen! Calumniatores aut maligni, aut insulsi qui nos tanquam profanum numen habere Naturam & venerari garriunt. Discant illi quid Natura apud Medicos. Natura vel universalis est, vel particularis. Universalis communis omnium mater nihil aliud quam spiritalis aura, virtus verè divina per universum diffusa, disseminata, quâ initio cuncta fuêre; terra virentem herbam germinavit, arbores fructiferæ factæ sunt, & in ipsis terræ visceribus mineralia, metalla, lapides concreverunt; quâ etiamnum hodie, lege semel stabilitâ & immutabili, cuncta in suo esse & genere servantur servabunturque in posterùm. Particularis Natura quæ ab universali manat tanquam rivus a fonte, à matre soboles, singulis rebus ita propria est, ut per eam unum maximè differat à quîvis alio: hæc in homine vis est latens occulta, verèque agens, sed variè in unoquoque nostrûm pro variâ principiorum ex quibus constamus mixtione; reipsâ pro diversâ illorum mixtione, hominum diversum temperamentum, natura diversa, (hæc duo unum sunt) quæ in his aut istis diversas propensiones habet, motus conatusve diversos molitur. Ejusmodi propensiones in homine, si ad malum, mutare, vincere, superare possunt Ratio & Religio (difficulter tamen) & in hoc hominis virtus. Vim istam nesciunt quidem, sed sentiunt & ipsæ belluæ: hanc autem in his ut in nobis fovent & ad actum promovent spiritus animales qui reverà existunt. In investigandâ Naturâ si nihil ultra comprehendimus, quid mirum! Cum Deus ipse, à quo Natura, incomprehensibilis. Deus in operibus suis solum-modò mirabilis, nemo ejus consiliarius fuit, ipse solus omnia disposuit & ut voluit fecit. Natura communis ad singularis bonum atque conservationem attenta maximè, arti corporum curatrici subministravit præsidia adversùs hostes infensissimos, morbos videlicet quoscumque, à quibus ex omni parte oppugnatur homo. Qui Medicus parciori manu utitur præsidiis istis, tutiùs ægris auxiliatur.

VERE probus & optimus Medicus non modò paucis, imò nullis quandoque remediis utitur, sed vocatus venit ad ægros quasi feriatus spectator; id quoties evenit, nec minorem scientiam testatur, nec minorem medendi peritiam, quin potiùs summam longâ & sæpiùs reperitâ experientiâ atque etiam prudenti eventuum observatione acquisitam. Sanare, Naturæ opus. Ad quid igitur remedia! Ubi hæc superior, sola potest opus explere. Si inutilia remedia, non idcircò tunc inutilis Medicus, cavebit ne quid peccetur in diætâ; nam ut diætâ conveniente, parciori, plerique morbi præcaveri possunt, sic facilè curantur minimi: hâc quoque curantur vel levantur saltem alii quibus nequaquam profuerant alterantia varia, absorbentia, attenuantia, aut alia quæ fundunt aliterve agunt. Non danda remedia ubi morbo superior Natura, nec danda ubi nullus jam Medicinæ locus & victor Morbus ægrum jugulat: crimen esset in homicidii partem venire, non infamandum præsidium aliàs profuturum. Præstat anceps potiùs quàm nullum remedium experiri, illud verum, modò sit adhuc aliqua spes saluris; si nulla fuerit, jam non anceps remedium: illud dijudicare non cujusvis hominis est (judicium enim difficile) sed sagacioris & peritioris Medici qui spem ex morbi essentiâ, magnitudine, & ex ægrotantis viribus depromit. Ars Medica tum se dedere debet Naturæ cum hæc illius opem poscit, at tunc etiam, ne Medicus pluribus remediis noceat plus quàm proderit. Non ipsum terreant symptomata quæ morbum consequi solent, v. g. in variolis delirium fugax, strictior alvus. Ubi vel unum sæpiùs, vel plura adhibentur remedia, perinde est, difficilè, quin aliquando temerè, quia minùs opportunè, unde Natura offenditur, subvertitur, corpus læditur, vehementiùs movetur quod noxium. Optimus Medicus in præscribendis remediis parcior, tutiùs multò & securiùs curat. Ille quid possit, quid recuset Natura attendit sedulò, nisi quò ducit movet, nec ultrà modum & opportunè semper (quod maximum est in curando) reverà ægrotantis salus non tam ex remediorum numero ac diversitate pendet quàm ex opportunitate captandâ in medendo. Opportunitatem indicat natura; igitur cum Naturam potissimùm sequatur Medicus in præscribendis remediis parcior, nihil tentat temerè, nihil nisi cum favet occasio, indè tutiùs curat, ægro si non prosit, nocet nunquam. Quinimò venit utilis Imitator, & Adjutor Naturæ in opere quod Prior ipsa suscepit, & maximè sui juris est.

NATURAM esse morborum medicatricem nemo negaverit, quâ deficiente deficit Medicus. Imò jam ars omnis exhausta est & perit æger, sed ecce peritior ac potentior Natura ferè exanimem ab ipsâ morte vindicat & sola ad integram refert sanitatem. Frustrà nonnunquam quæ diuretica dicta sunt adhibeas in hydrope qui superveniente diarrhoea sponte solvitur, & certè cathartica sunt vera diuretica. Alkalia volatilia, sudorifica, experiri periculosum nonnunquam, hæc quam parentis sui, ignis scilicet, incendiariam vim servant ad intima usque corporis ferunt, corpus universum calefaciunt, exsiccant, sudores promovent nunquam, ni priùs Natura vias reserarit, aperuerit. Ad quid ergo ejusmodi remedia vel alia renuente naturâ. Tota Medicina adjectio, detractio: ubi in tenuiori corpore adjiciendum aliquid, non medicamentis, sed diætâ convenienti aggrediendum & complendum opus, quod difficillimum; nam qui in tenui delinquunt ob id læduntur magis. In plenitudine detrahendum, atque tunc medicamentis quidem opus, at paucis. Plethoræ seu ad vasa seu ad vires sufficiet ut plurimùm venæsectio, cui palma debetur in medendo, cujus modum & tempus ex ipsâ plenitudine & ægri viribus æstimabit prudens Medicus & in arte nostrâ versatus, sed quæ rarior erit, si statim incipiente morbo, nec longioribus intervallis celebretur. Cacochymiæ debetur prætereà purgatio tum κάτω, tum ἄνω, verùm rarioris etiam necessitatis erit, si Natura & Ars adunatis viribus agant ad exuperantem & peccantem humorem excernendum; totus enim vel unicâ vice, etiam initio & primo quoque tempore evacuabitur, si exhibeantur purgantia dum humor jam concitatus est, cum turget & illum movet ac ducit Natura; vel aliàs partitis vicibus, at non toties repetitis, si corpus bene præparatum & fluxile fuerit, si humorem à Natura coctione fractum, maturum, & indè factum obsequio facilem, atque quasi spontè decidentem pharmaca propellant. Cathartica, ut & alia remedia quibus uti convenit aliquando prosunt data tempore, alieno nocent; atque ut viator semel è viâ devius eò aberrat magis, quò magis progreditur, sic Medicus eò magis nocet quò plura præscribit remedia, quia pleraque non opportunè. Opportunitas adhibendi remedii seu occasio præceps & rara, raró igitur adhibeantur remedia. Si frequentiùs, exacerbabuntur potiùs morbi, contumacesve fient, indè patietur natura, solidorum robur frangetur, liquida pravè permiscebuntur, turbabuntur ut & spiritus, à quibus potissimùm functiones omnes, calor & vita.

Ergo præstantior Medicus qui in præscribendis Remediis parcior.

Domini Doctores disputaturi.

M. Joannes Besse, Medicus Domûs Regiæ.
M. Antonius de Jussieu, Regiæ Scientiarum Academiæ & Botanices in Horto Regio Parisiensi Professor.
M. Joannes Baptista Silva, Serenissimi Ducis Borbonii Medicus ordinarius.
M. Joannes-Baptista Thomas Martinenq, Chirurgiæ Professor.
M. Joannes Henricus Imbert, è Regiâ Scientiarum Academiâ.
M. Franciscus Pousse, Scholarum Professor.
M. Franciscus Afforty, antiquus Facultatis Decanus.
M. Germanus Preaux, Professor Regius.
M. Joannes Cordelle.

Proponebat Parisiis LUDOVICUS DE SANTEUL, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1717. à sexta ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.